

Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem.

Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo; matrem filiorum lactantem. Gloria, &c.

PSEAUME 113.

IN exitu Israel de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro.

Facta est Judæa sanctificatio ejus: Israel potestas ejus.

Mare vidit & fugit, Jordanis conversus est retrorsum.

Montes exultaverunt ut arietes: et colles sicut agni ovium?

Quid est tibi, mare, quod fugisti? & tu Jordanis, quia conversus es retrorsum?

Montes exultastis sicut arietes? & colles, sicut agni ovium?

A facie Domini mota est terra: a facie Dei Jacob.

Qui convertit petram in stagna aquarum: et rupem in fontes aquarum.